



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio ultima. Aliarum compendium, pro Amadæo à Baronii
vitiligationibus, vindicando?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

efficacem, & appetitativum ordo charitatis, *quando non est magnus excessus, potest prætermitti sine mortali, & censetur res levis, & hoc (inquit) sibi voluit Augustinus, & D. Thomas. *Ergo licet secundum ordinem charitatis major esse debeat inclinatio ad gaudium, & desiderium inefficax vitæ proximi, quam proprii commodi minoris momenti, non idcirco contra hunc ordinem facere, peccati mortalis illicod dampnari debet. Inordinatio enim ista levis censetur, quia nullum habet influxum in mortem proximi, neque impedit firmiorem dilectionem efficacem appetitativam illius vitæ, quam proprii commodi. Urgente enim necessitate, hoc quilibet negliget, ut extremè, vel etiam graviter indigenti subveniret.

15. Confirmatur primò, quia secundum ordinem charitatis, plus tenetur quilibet vitam suam appetitativè diligere, quam proximi; & tamen contra hunc ordinem operari non est peccatum mortale, sed ad summum veniale, ut tradit Suarez suprà, & alii Doctores cum ipso. Ergo licet secundum ordinem charitatis teneatur inefficaci etiam affectu magis diligere vitam proximi, quam proprium commodum, non erit mortale contra hunc ordinem facere, sed ad summum veniale. Cui facit D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 5. ad 1. ubi sic ait: *Cum dicitur proximus magis diligendus, quam corpus proprium, intelligitur quantum ad animam, quæ est potior pars ejus. *Ergo quoad alia bona temporalia excessus obligationis non est tanti æstimandus, ratione præstantioris objecti, ut etiam inefficaciter bona nostra minoris momenti plus diligere, lethalis culpa sit dampnandum. Confirmatur secundo, quia etiam inter cognatos in primo gradu, præceptum charitatis ordinem præscribit, ut tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 8. & sequentibus: & tamen, hunc ordinem inter Patrem & matrem, filios, & uxorem posse absque mortali prætermitti, tradunt plures, quos suppresso nomine refert, & sequitur Lorca ibi, art. 11. num. 4. & Puente Hurtado 2. 2. disp. 154. sect. 5. §. 77. ubi ait: *Nescio sanè, an iste ordo inter filios, & uxores graviter obliget? Inclinator in partem negantem. *Si ergo quoad amorem etiam appetitativum, & efficacem, ex cuius prælatione grave proximo nocumentum subsequi potest, charitatis ordo absque lethali quærit aliquando prætermitti, cur non & quoad affectus inefficaces desiderii, & gaudii, ex quibus nullo in casu malum aliquod proximo imminet? Concludendum igitur est, desiderium inefficax mortis alienæ ob proprium commodum, etsi longè minoris momenti vita proximi, non esse peccatum mortale, sed veniale tantum contra debitum charitatis ordinem.

QVÆSTIO VLTIMA.

Aliarum compendium pro Amadeo Baronii vitiligationibus vindicando.

1. Plures his decreveram superaddere quæstiones, quas historicè tantum Amadeus Guimenius prælibavit, ut suam cuique auctori conclusionem restitueret: Sed ne opus hoc longius quam par est, protrahatur, visum est à ventilatione abstinere, & brevi calamo eas tantum percurrere, quæ Amadeum ab omnibus Baronii ictibus incolorem evasisse, lectori notum faciant.

2. Prima illarum sit. Dissident Doctores, an liceat mutuanti aliquid ultra sortem exigere, ratione periculi (scilicet probabilis) cui in ea recuperanda exponitur? Affirmant sexdecim auctores, quos adducit Amadeus de usuris, p. 1. inter quos M. Serra 2. 2. q. 77. art. 1. dub. 4. Ubi docet similis hic Thomista pro ea referens Sylvestrum verb. *Usur.* 1. q. 35. sic ait: *Probatur ratione sumpta ex Sylvestro. Quamvis enim usura sit, si quis recipit aliquid ultra sortem ratione mutui, non est usura, ut inquit Sylvester, si recipit ratione periculi tantum, ut pretium periculi.* Sic ille.

3. Histamen Baronius non convictus, Amadeum carpit, & falso pro hac sententia Sylvestrum adduxisse clamat. disput. 1. sect. 2. fol. 164. dicens: *Quod ad Sylvestrum attinet, quem suæ opinionis auctorem sequi, ait Serra, aperte usura damnat cum Pontifice (in cap. Naviganti) eum, qui aliquid ultra sortem exigit, ratione periculi, nec excusari, etiam si in se illud periculum recipiat.* Et infra Sylvester quo loco citatur, refellit Amadei propositionem ex antiquorum omnium Theologia, & juris Canonici consuetudinum interpretatione in caput *Naviganti*. Hæc Baronius in Amadeum, & in sui etiam instituti auctores.

4. Cæterum ut omnes ego vindicarem, aut infidelis citationis reos inculcarem; Sylvestrum consului, & semel, & iterum legi, incredibile censens Vincentium Baronium in quæstione facti, subortâ controversiâ, potuisse à rectò veritatis tramite deviare, & Sylvestro insalutato, contrariam sensui, & verbis sententiam affinxisse. Ipse igitur de se loquatur. *Queritur, (inquit Sylvester ubi suprà) quid si quis mutuet naviganti, vel nundinas ad eunt, recepturus aliquid ultra sortem, pro eo quod suscepit in se periculum pecuniæ, aut mercium, si salva redierint? Et distinguit Archi. post Laur. Joannem de Neapoli, & Joannem Calder, & Sum. Pil. Quia est usura si recipit ultra sortem, ratione mutui tantum; non obstante ratione periculi; & est casus in dicto cap. *Naviganti*. Et similiter si ratione mutui, & periculi simul; ea ratione, qua recipit ratione mutui. Non autem est usura, (attendit Baronius) si recipit ratione periculi tantum, ut pretium periculi: quia etiam si non mutuet, & periculum navigantis velle in se suscipere, licet perciperet pretium, nec efficitur peioris conditionis per hoc, quod ei servit mutuando: & concordat Laurentius de Rodol. & ita etiam tenet Summa Angelii, & Rosella. Supplementum autem vult indistinctè, quod sit usura, per dictum caput *Naviganti*, etiam si quid recipitur ratione periculi, &c. Sed dico, quod iste non bene intellexit textum. *Sic Sylvester, quem Baronius noluit intelligere, vel forsan, non legit: quia luculentius, quam textus, loquitur. Sentit ergo aperitissimè Sylvester cum Doctoribus, quos refert, licitum esse mutuanti, aliquid supra sortem exigere, ratione periculi sortis, quod in se recipit. Et miror Baronium tanto conatu ab hac sententia Sylvestrum eximere tentasse, cum præter Serram, quem pro ea stare fateatur ubi suprà, eam ipsemet teneat cum Gaugericco interprete Cajetani: qui, ipso Baronio testante folio 178. & 179. asserit licitum esse minoris emere jus ad æ alienum, si subsit aliquod periculum amittendæ summa, vel sortis. Cujus sententiam Baronius ipse laudat, & Cajetano attribuit: ergo periculum amittendæ sortis subire, pretio æstimabile est: ergo aliquid supra sortem pro illo exigere, illicitum non erit: ut quid ergo Baronius à sententia, quam ipse defendit, auctores vindicat?

5. Approbare tamen nullatenus possum singula-

rem opinionem M. Arauxo in decis. Moral. de statu civili. disp. 7. p. 1. nu. 12. ubi omni periculo seculo, concedit esse licitum aliquid supra sortem exigere ab eo, qui pro alio mutuum petit. Potest, inquit, recipere aliquid minus à Paulo rogante ipsum, ut mutuet Francisco, quin detur Paulo actio repetendi. Neque per hoc aperitur ostium alicuius fornerandi, cuius iniquitas solum in eo consistit, ut à mutuatariis aliquid ultra sortem recipiatur. Hæcille, quæ si vera, actum esset de usuris. Quid enim facilius, quam nolle absque intercessore mutuari? Videatur Card. de Lugo tom. 2. de iust. disp. 37. sect. 11. num. 126. Sed pro sententia M. Arauxo, facit principium, quo ad alias conclusiones utitur M. Prado tom. 2. Theol. Moral. cap. 17. q. 4. cum pluribus Thomistis, apud Amadeum tract. de iust. prop. 11. num. 4. Nempe gratiam, quæ intercessori sit, esse pretio æstimabilem.

6. Secunda. Dissidium etiam est inter Theologos, utrum vendens credito possit carius vendere, propter periculum in recuperando pretio? Affirmant plures, quos refert Amadeus supra, inter quos M. Serra 2.2. quest. 77. art. 1. dub. 4. Sylvestre, Petrus de Ledsna, M. Acatus de Velasco, & sexdecim Authores, quos adducit M. Joannes Martinez de Prado tom. 2. Theol. Moral. cap. 27. §. 2. à num. 6. ad 10. Quorum verbis fideliter exceptis, subnectit Amadeus num. 5. Et saltem quod ratione periculi expensarum ad recuperandum pretium, possit carius vendi credito, tradunt Sotus 6. de iust. quest. 4. art. 1. & Bannez 2.2. q. 77. art. 4. dub. 6. quibus consentit M. Prado supra quest. 3. §. 3. Hæc Amadeus. In quem propterea his insurgit Baronius supra fol. 167. & 168. Oborto colo, & falsis criminacionibus trahit Bannez, & Soto ad suam sententiam docentem, legitimum esse lucrum supra sortem ex solo periculo (nempe expensarum) quod timetur, nullo addito damno, quod jam acciderit. Et his non contentus, iterum Inferius illum invehitur, dicens: Calumnias calumnias cumulat, dum Sotum 6. de iust. quest. 4. Bannez 2.2. quest. 77. art. 4. dub. 6. patronos adiunxit opinionis relictæ.

7. Cæterum M. Sotum pro nostra & communis sententia stare, constat ex Mag. Serra, & M. Prado eum pro illa referentibus ubi supra. Et quod caput, ex ipsius M. Soti verbis, quæ fideliter excerpta adducit Prado, cui fidem adhibere debuisset Baronius, cum Sotum consulere, ipsi non vacaverit. Loco igitur supra citato quest. 4. art. 1. post. 3. argum. §. Supers aut. Sic M. Sot. scribit. Ubi omni procul fraude, bonis conjecturis timentur expensæ, nempe dum tuus debitor à tuo loco distat: nulla est iniquitas de expensis, & laboribus, pactum cum illo inire, constitutumque pretium recipere, (attende) etiam si nullos sit postea facturus. Nam etiam si esset plura expensurus, non posset amplius recipere, quam fuit conventionem firmatum. Sic Sotus. Quibus apertissime concedit licitum esse aliquid supra sortem exigere ratione probabilis periculi expensarum ad recuperandum pretium, & ex conventionem statutum postea recipere, etiam nullo addito damno, quod jam acciderit. Quem (inquit Salas de contractibus, tract. de usur. cap. 22. nu. 4. Sotus, & Bannez imitari videntur. Expendat ergo studiosus lector: An Amadeus falsis criminacionibus usus fuerit, & calumnias calumniis cumulaverit?

8. Tertia. Merces ultroneas vilescere, commune apud Theologos, & Jurisperitos axioma est. Quanti vero, non conveniunt, licet circa earum definitionem nullus dissideat, eas nempe ultroneas dici, quas venditor emptorem non inveniens ultro tibi offert, & ab eo rogatus emis; Cajetanus, & alii, quos refert,

& sequitur Diana 1. p. tract. 8. ref. 75. & Ludovico Lopez de contr. lib. 1. cap. 3. §. Respondetur, aliter non lescere pro tertia parte. Quos idem pro hac opinione adducit Amadeus tract. de iust. prop. 2. num. 4. verbis Magistri Lopez, quæ subnecto, fideliter excerptis: Secundum Cajetanum, & axioma commune, merces ultroneæ pro tertia parte solent vilescere. Cajetani verbum consulere Amadeus non curavit, tanti Doctoris ejusdem instituti testimonio contentus. Cuius lentum malè habuit Baronius, idem quæ de p. 1. fol. 171. qua potuit, perhas, vel nefas, occidere in Amadeum invehitur, dicens: Cur Cajetani locum tacuit, quo ista doceat adeo aliena ab his, quæ etiam retulimus verbo Emere: tacuit, ne consulere, quæque fraus omnibus pateret. Hæc illi. Cuius morem ego gererem, Cajetani locum, (quem, transcaisset, apud Ludovicum Lopez citatum ipse invenisset) sedulo perquisivi, & invenit in rebus, quia vir religiosus unum è duobus cogitavit, vel Cajetanum sibi non constare, vel ejus mentem ipsi non calluisse. Cajetani locus extat. 2.2. q. 77. art. 1. dub. 4. evidentiam, ubi sic: Modus vendendi, licet ultra offerre, & quætere emptorem, manifestè, in additione hominum, villicatrem venalem. Ultroneamque merces, ut in proverbio dicitur, vilescit pro tertia parte. Hæc Cajetanus. Legas, quæ, Baronius, ut calumiam cohibeas. Tacuit Amadeus, quod consuleretur, ejusque fraus omnibus pateret: Quid ad? Non ergo fraudulenter Cajetanum non citatum addo vertere debui, sed fidei alienæ M. Ludovici Lopez tibi non suspexit. Sed cui ego attribui, neutrum reconsultare voluisse? Lectores doceant.

9. Subtrahere tamen non possum, Cajetanum non solum præstatum pretium ultronearum merces solum censere, sed ibidem subnectere: Nec reddere injustum pretium ex causa: puta quia necessitate actus, ac per hoc non voluntarie vendidit, quia inopia, qua cogitur quis ad vendendum, non redditur conditionem involuntariam: alioquin etiam si negotio venderet, involuntaria redderetur venditum quod constat esse saltum. Hæc Cajetanus, quem sequuntur M. Corradus in Sum. 1. p. quest. 150. & M. P. de Blanchis in disp. ca. consil. l. 1. de iust. 1. §. 1. Quorum sententia est valde notanda.

10. Quarta. Disputant Doctores, an debita immatura, id est, post annum, Vgr. solvenda, licet anticipata solutione minoris emere, etiam si debitor liquidissimum sit, & absque ulla difficultate, & labore exigibile? Negant communiter Doctores. Thomas apud 67. ad lectorem Florentinum, & apud de iust. p. 1. cap. 8. Joannes de Medina Cad. de iust. p. 1. cap. 8. circa finem. Bannez 2.2. q. 77. art. 4. dub. 5. Sotus de iust. lib. 6. q. 4. art. 1. ad 2. lib. 2. cap. 21. dub. 8. & alii: & contrariam esse improbabilem dicit P. Molina disp. 361. & cum M. Bannez, Salas tract. de iust. dub. 27. Multaque solida argumenta, ad eam improbandam, afferre Medinam supra, ait Gaugerius Cajetani interpres in Sum. 1. Theol. Moral. cap. 28. q. 1. §. 3. nu. 21. & Baronius supra fol. 178. Nam si huiusmodi, inquit, emptio, aut commutatio alicui sit licita, sublatus est usurarum periculum.

11. Contrariam tamen sententiam amplectitur Emin. Cajetanus in Sum. verb. Usura in fine. §. Cognoscitur. Cujus verba ad duos Amadeus tract. de iust. prop. 2. num. 7. Quem Baronius usulæ allegacionis innotat, & de calumnia Cajetano illata expostulat, fol. 178. Quæ

autem jure? recole Cajetani locum, quem in quacumque editione invenies. Et ne differas bonam Baronii fidem agnoscere. En Cajetani verba. *Postsum enim licite emere justitiam, quo tibi debetur ab altero mille aurei hinc ad annum: & licite emendo dabo tibi minus mille aureis (attende) præsupposito debito liquidissimo, absq; difficultate, & labore exigibili. Quoniam jus recipiendi ad annum mille aureos, minus est secundum rem, & humanum usum, & humanam æstimationem, quam mille aurei. *Hæc Cajetanus. Cujus sententiam probabilem esse dicunt M. Joannes de la Cruz in direct. 1. p. præc. 7. de Vfur. dub. 6. & M. Serra, 2. q. 77. art. 1. dub. 5. §. Dicendum est secundo. Addunt alii non solum cuidam tertio, sed ipsi etiam debitori fas esse emere debitum, quod ab hinc uno anno debet, minori pretio, quam sit ipsum debitum. Sic Bernardinus de Busto, Armilla, Conradus, Rosella, & alii apud Sanchez in Consiliis tom. 1. lib. 7. dub. 18. Ex qua sententia tot absurda sequuntur, tot viæ usuris aperiuntur, ut jure dixerint auctores primæ improbabilem esse. Si enim centum aurei solvendi post annum possunt hodie extinguere nonaginta paratis, (ut cum Armilla dicit esse probabile Joannes de la Cruz ubi supra, & ex principio Cajetani deducitur) qui nonaginta hodie mutuat, poterit in fine anni centum recipere, nil enim supra sortem exigit, quia illa quantitas præsens tantum valet, quantum sit futura. Hoc argumentum contra Cajetani in urgent P. Salas ubi supra, & Caramuel in Theol. Mor. lib. 1. disp. 14. nu. 799. Quod insolubile, admissio antecedenti, judicavit M. Prado tom. 2. Theol. Moral. cap. 28. q. 1. §. 3. n. 21. Et oneri etiam succubunt Baronius sup. fol. 179.

12. Adnotat verò hic Neothericus, ejusmodi debita post annum solvenda, seu jus ad illa, posse viliori pretio emi, si sub sit aliquod periculum amittenda summa, vel sortis, vel sine faciendis expensis ea recuperanda. Cujus sententia est verissima: in qua, ait P. Salas supra, omnes conveniunt. Sed extremè opposita Cajetano, qui etiam si debitum sit liquidissimum, & absque difficultate, & labore exigibile, ac proinde semoto periculo amittendi sortem, vel faciendi expensas, docet expressè jus illud minoris emi posse: ideo enim ejus sententiam plures improbant, ut diximus. Quapropter non capio, quæ super addit Baronius, dicens: Atque hac distinctione, & concordia opinionum evanesceat argumentum, quod ex Cajetani principiis depromit Caramuel. Nam cum Baronius sententiam contradicitoriè oppositam opinioni Cajetani defendat: concordiam Baronianam penitus ignoro.

13. Quinta. Quæstio est inter Doctores, an usura, in novo testamento, à Christo Domino sub præcepto prohibeantur, Luca 6. verbis illis: Mutuum date nil sperantes. Affirmant communiter Doctores, quos sequuntur P. Salas tract. de Vfur. dub. 3. num. 2. & Card. de Lugo tom. 2. de Iust. disp. 25. sect. 2. nu. 9. & constat ex Urbano VIII in cap. consultus de usuris, ubi ex hoc loco probat prohibitionem usurarum, & ex Leone X. in Concilio Later. sess. 10. qui ait: Dominus noster (Lucà Evangelistà attestante) apertè nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus.

14. Nihilominus, his non obstantibus, contrariam sententiam alii defendunt, quos sequitur M. Prado tom. 2. Theol. Moral. cap. 28. q. 1. §. 2. n. 9. his verbis. *In nova lege, solum sunt præcepta naturalia, & Theologica, & Sacramentorum: & testimonium Luca 6. si per se solum sumatur, videtur indicare consilium, & non statuere præceptum Sed prohibetur illo

præcepto Decalogi: Non furtum facies. *Sic Prado. Pro cuius sententia adduxit Amadeus tr. de Charit. prop. 3. num. 2. Magistrum Domin. de Soto lib. 6. de Iust. q. 1. art. 1. conclus. 1. sed contra Amadeum, ideo invehitur Baronius fol. 204. & falsæ allegationis inculcat, dicens: *Quamvis hæc Christi verba secundum totum, ut sic loquar, ambitum præcepti vim non habeant, Certum tamen est, aliqua sui parte continere, neque hoc negat Soto. *Et iterum infra. *Ut optimè observat Soto, illa sententia Evangelica continet aliqua sui parte præceptum de lucro non optando ex pecunia, aut ullare mutuata. *Hæc Baronius. Quibus nil à veritate magis alienum. Et in ejus caput calumniam casuram evidenter ostendo, ex ipsius M. Soto verbis, quæ subijcio. *Locus autem Evangelii Luca 6. Mutuum date nil inde sperantes. ad hoc ipsum propositum adduci consuetissimum, profectò non illam habet energiam, quæ vulgo æstimatur. Quamobrem D. Thom. sacrorum sensuum oculatissimus perspector, non modò non usus est eo loco, ad asserendam conclusionem, verum ex illo quantum argumentum contra eandem objecit. Agnovit enim non esse prohibitionem usurae, sed consilium mutuandi, sine spe humanæ compensationis (attende.) Quare in epiglossa est, quod prius membrum sit consilium, posterius vero præceptum. *Hic Baronius tum vultum agnosce. Progreditur Soto, Nulla enim illic edicetur prohibitio injustitiæ usurarum, sed commendatio sit misericordiæ mutui. Ais verò rursus, Urbanus III. cap. consultus eo tit. citat eundem locum date mutuum nil inde sperantes, ad confirmandam usurarum prohibitionem; Responderetur, quod Papa, non ubicumque citat testimonium sacræ paginæ, in aliquo sensu, intendit canonizare eundem sensum, tanquam de fide, sed citat quandoque illum, eundem Doctorem opinionem. *En, amice lector, Mag. Soto expressissimè asserit verba Christi Domini, Luca 6. in nulla sui parte continere præceptum. Quo ergo jure contrariam sententiam ei affinxit Baronius? ut Amadeo calumniam instrueret? Apage.

15. Ad auctoritatem verò Concilii Lateranensis sub Leone X. nil M. Soto respondit. Sed, ut mihi videtur, Baronius ipse meliora ex dictis sapiens, id pro Soto respondebit, quod, ut infra videbimus, ad aliam auctoritatem ejusdem Concilii in casu non dissimili, pro eodem Soto respondit fol. 175. Nempè, circa Montes pietatis: de quibus, sic Leo X. in Concilio Lateran. sess. 10. *Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, Montes pietatis antedictos per Respublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hæcenus approbatos, & confirmatos, in quibus pro eorum indemnitate, aliquid moderatum ob solas Ministrorum impensas &c. ultra sortem, absque lucro eorumdem Montium, recipitur: neque speciem mali præ se ferre, neque ullo pacto improbari. Quinimò meritum esse, & approbati debere tale mutuum: & minimè usurarium esse, &c. Omnes autem Religiosos, & Ecclesiasticos, ac sæculares personas, qui contra præsentis declarationis, & sanctionis formam, de cætero prædicare, seu disputare verbo, aut scripto, ausi fuerint, excommunicationis latente sententiæ pœnam, privilegio quocumque non obstante incurrere volumus. *Hactenus Concil. Lateranense.

16. Quæ tamen definitione non obstante, M. Soto lib. 6. de Iust. q. 1. artic. 6. post prædictam sanctionem, contrariam sententiam, ex iustitro defendit, dicens. Arbitror ejusmodi rationem Montis neutquam ab usura sortibus elurposse. Et ne ille, in hac lubrica, & periculosa

losa via, sine socio progredieretur, pedisequium agere, se accinxit Baronius ubi *sup. disp. 1. sect. 2. §. 4. fol. 175.* & crimen reputans, quod verbis M. Soti, Concilii definitionem Amadeus opposuerit: inquit esse falsam, & inquam accusationem. Lector iudicet. Igitur ad rem nostram: cum uterque autoritate Concilii urgeretur: respondit Baronius his verbis. Bellarminus lib. 2. de Conciliis, cap. 13. ait dubium esse, an ultimum Lateranense Concilium verè sit Oecumenicum. Quod æquivalere dicere, non fuisse Concilium Generale, ac proinde eos non cogere à sententia discedere, circa Montes pietatis,

17. Caterum falsò id affingit Bellarmino, quia hic Doctor contrarium expressè tenet cap. 17. contra nonnullos, quos cap. 13. dubitalle prædixerat. Ibi ergo probans ex Concilio Lateran. potestatem Pontificis supra Concilium, sic inquit. *Ad hunc locum Concilii, nil potest responderi, nisi vel non fuisse Concilium Generale, vel non definisse hoc tanquam de fide. Sed non fuisse Generale vix dici potest: nam etsi fuerint Episcopi paucissimi, (nam ad centum non pervenerunt) tamen Concilium omnibus patebat. Quod verò Concilium hoc rem istam non definierit propriè, ut decretum fide Catholica tenendum, dubium est. Et idè non sunt propriè hæretici, qui contrarium sentiunt, sed à temeritate magna excusari non possunt. *Hæc Bellarminus. Et acriter Cajetanus 2.2. q. 1. artic. 10. ait, contrariam sententiam negantem Papæ potestatem supra Concilium, esse damnatam in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. & M. Bannez 2.2. q. 1. artic. 10. dub. 2. pag. 130. Penna, & Recentiores apud Henricquez de Pontificis Clave lib. 3. cap. 9. num. 1. in *Glos. list. E.* dicunt esse fomitem hæresium, & periculosam in fide. An aliqua ex his censuris inveniatur sit opinioni Soti? aliis ponderandum relinquo. Scio Angelum Maria Verricelli tom. 1. *quest. moral. tract. 4. q. 16. num. 5. & tract. 8. quest. 2.4. n. 8.* sic scribere. *Contractus Montis pietatis à Leone X. licitus declaratus, de fide est, quod sit iustus, Molina, Turrianus, Bellarminus. *Erit supponit Salas *tract. de Vsuris, dub. 33. num. 7.* Sed mihi apud illum Cajetanus loquitur. Quid verò sentire debeat Baronius, etsi non solum Magistro Soto, sed sibi etiam infensus, si consequentiam servet, apertè intelligitur ex his, quæ subnecto ex 1. p. Theolog. Moral. disp. 2. sect. 4. fol. 241. ubi sic. *Quisquis negaret* (licitum esse credere Immaculatam Conceptionem Deiparæ) *de hæresi vehementer esset suspectus: quod dubitaret de certa fide, nimirum de Ecclesie autoritate emergentia circa Religionem dubia dirimendi.* Sic Baronius. Cui consonat Fr. Joannes de Casales ex eodem instituto in Candore illi, §. 40. fol. 175. ubi ait: Hæreticum se probare, qui negat D. Thomæ sanctitatem, quem Apostolica Sedes toti Ecclesie sanctum venerandum, & imitandum proposuit. Sic Sodalis: bene quidem. Velle tamen ab utroque edicere, sit ne in Ecclesia autoritas, dubia etiam dirimendi circa mores emergentia; Inficiari neuter poterit, idèd què neque obliquum istum fugere. Vide Verricelli *sup. quest. 2.4. citata num. 8.* *Quod Papa, inquit, toti Ecclesie leges quoad mores proponens nequeat errare, declarans esse bonum, quod malum est, & e contra, & id esse de fide, docent S. Antoninus, Joannes de Neapoli, M. Cano, Molina, Suarez, Turrianus, Castro Palao, Comitofus. Quid plura?

18. Sexta denique calumnia sit, quam molitur disputat. 3. sect. 2. fol. 297. dicens Amadeum fraudulentam, & sceleratam tentare defensionem propositio-

nis, & sententiam quam tradidit Petrus Hurrado Mendoza 2.2. tom. 2. de Charit. dign. 1. §. 1. ubi dixit: Si inimicus iniuste est me vexatus, ego non desiderare orareque Deum, ut cum vivo tollat, sed inferenda mala irari non possunt. In Cujus prædicatione constat ex dictis quaestione præcedenti, adduci Amadeum tract. de Charit. prop. 10. duplicem D. Thomæ locum: alium ex 2.2. quest. 76. art. 1. alium ex *sententiarum distinct. 30. quest. 1. art. 1. ad 4.* ubi has duas conclusiones Angelicus Doctor itavit. Primum: Plus debet diligere quisque se, quam alterum. Secundum: Plus quem salva charitate optare malum temporale dicitur, gaudere si contingit, non in quantum est malum dicitur, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quoniam plus tenetur diligere. Ex quibus per necessariam consequentiam deducitur, se posse mortem inimici considerare, & à Deo petere, si impedimentum id sit malorum: cum plure, quam illum diligere tenetur. Hanc sententiam jure ascribit D. Thomas, tenentur discipuli, qui illum sequuntur. M. Joannes de la Cruz in *tract. p. 1. tract. de Homicid. §. 1.* inquit, desiderare alteri mortem, aut aliud malum, non ut sic ex odio, sed sub ratione boni, ut scilicet à peccando, aut ab aliorum damno, & sic plures desiderare ista inimico iniuste invadenti pro nostra defensione, si aliter non possimus ab ea liberari. *Sic Cruz, & ante illum M. Sotus lib. 1. de Iustitia, quest. 12. art. 1. ubi sic. *Christianis in his, qui nos iniuste persequuntur, quando non parvisset via, licitum est id ipsum (nempe mortem) optare. *Quem citatum, excerptis verbis sequuntur M. Serra 2. 2. quest. 76. art. 1. fol. 110. & Mag. Joannes Martinez de Prado tom. 2. *Theolog. Moral. cap. 25. quest. 4. §. 1. numer. 2.* Quibus facit M. Zanardus, M. Corrad. & alii, quorum verba dedit Amadeus ubi *supra*.

19. Ex his authoribus fraude proptus punita ceteros D. Thomam, & M. Soto, alios non citans, citat Baronius ubi *supra*. Quod ad D. Thomam non net: jactat à se demonstratum alibi. Quod si tum sic modo tradidit. Nec minus, inquit, in istum peccat Amadeus, cum ad hujus propositionem propositum eo ex loco advocat, ubi docet licere Christianum hostibus, id est, Turcis regionem vastantibus, mortem invocari. Sic Baronius, qui tam D. Thomam, quam Sotum, non ex privato commodo, sed ex ipsius aduersarii, aut ex communi bono Ecclesie, desiderium mali alieni honestè, susdere conatur. Et hoc secundum, inquit, concedunt D. Thomas, & discipuli.

20. Caterum, quod D. Thomas, & aliqui discipulis, ex privato etiam commodo, id dicere possent, demonstravi satis quaestione præcedenti. Quod verò & M. Sotus id expressè tenet, conturbat legenti locum ex illo citatum ex 5. de Iust. quest. 1. art. 1. in fine, ubi desiderium mortis alienæ, tum ob commune Reipublice nocumentum, tum ob malum privatum ipsius desiderantis vitandum, licitum concedit. Primum tradit his verbis. *Quem etiam & mortem alicui optare possumus, licet non inter, viam perditionis ingressum sit, ut nostra Reipublica mala caveantur, paxque & tranquillitas contingat. Tristis enim quisque Turce mortem, & clades omnes impetari, ut ab ejus tyrannide liberemur. *Secundum non minus luculenter, in verbis sequentibus. Quoniam Christiani hostibus, qui nos iniuste persequuntur, quando alia non parvisset via, licitum est id ipsum optare. Hæc alius non parvisset via, licitum est id ipsum optare. Hæc alius non parvisset via, licitum est id ipsum optare. Hæc alius non parvisset via, licitum est id ipsum optare.

quid speciale præferant, quod in præcedentibus non contineatur, in quibus desiderium mortis alienæ ad commune bonum retulerat: planè in de intelligitur, ad particulae cujusque commodum comparandum, seu grave nocumentum vitandum in his respexisse. Aliàs actum ageret, Ex quibus constat, Baronium Soti verba multifariam corripisse: primò, subtrahendo adverbium illud, *Quin* verò, quo casuum discretio exprimebatur, secundò ex proprio penu alia superaddendo, quibus Magistri Soti verba in alium sensum detorsit: Sic enim exposuit, *Christianis hostibus*, *id est, Turcis regionem vastantibus. *Ita Baronius vertit latinitate longè excellens. In hoc tamen loco maluit cadere Grammatica, quam causa, Nec enim *Christianis hostibus*, sed *Christianorum*, si cum Baronio conveniret, elegans Sotus scripsisset. Ceterum Baronius ea fide Turcas Christianos fecit, qua

Amadæum in opinionibus restituendis infidelem. *Ejusmodi est veritatis natura* (ait Chrysostomus Homil. 57. in cap. 9. Joannis, ex editione anni 1570. apud Guilielmum Merlin.) *Vnde magis oppugnatur, inde magis confirmatur, & quo magis obtegitur, eo clarior eradit, nisi enim facta fuissent, miraculum istud nempe illuminandi cæcum*) apud multos suspectum esse potuisset: nunc verò perinde, ac si studiosè agerent, ut veritatem manifestarent, ita omnia faciunt, nec aliter facere potuissent, si in Christi patrocinium omnia fecissent.

(. . + . .)
(+)

